Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 703
Quelle:
Copyright:

lorum *Admonitio col.* 33. Adi etiam *Cod.* CCXXXVIII.

III. *fol.* 44. p. 2. praemissis trium sequentium *Augustino* perperam tributorum Libellorum Summariis *Incipiunt questiones LXV. Orosii Et totidem responsiones. S. augustini.* Initium: *Licet multi et probatissimi uiri diuerso quidem stilo* &c. Finis: *qui preesse desiderat non prodesse.* Exemplar incorrectius editis T. VI. *Append. col.* 7.

IV. *fol.* 58. p. 2. *Incipit liber questionum sancti Augustini episcopi.* Scilicet *ex Vetere et Nouo Testamento*, ut in Summariis mox *cit.* dicitur. Primae quidem omissa Quaestione: *Quid est Deus?* incipiunt: *Deus est, quod nulla attingit opinio* &c. et finiunt: *iam non serui sed filii dei.* Secundae: *Deus certe perfectio est. et nullius egens* &c. Finiunt: *ut ad fructum pasce peruenire mereamur. Per christum dominum nostrum. Cui honor est et gloria in secula seculorum. Amen.* Extant hae *Quaestiones* T. III. Opp. *Append. col.* 33. ab *Augustino* abjudicatae, sed multum abeunt a nostro *Codice*, sive numerum earum, sive ordinem spectes. Deficiunt in eo quaedam, quae in Impressis leguntur, et vice versa. Quaedam praeterea, quae in Impressis inter *Quaestiones ex Utroque* Testamento *mixtim* a *col.* 89. leguntur, in Exemplo nostro inter *Quaestiones N. T.* adscitae sunt; ut nihil de lectionis varietate dicam. Clausula miniata sequens est: *Explicit liber questionum XCIIII. S. Augustini.* Et mox

V. *fol.* 99 *Incipit liber eiusdem de questionibus XXI.* Praemisso Elencho Quaestio prima est: *Quid sit quod maledictus dicatur, qui non reliquerit semen in israel.* Hic porro occurrunt *Quaestiones*, quae superius vel in *Impressis* vel in *Codice* deerant. Ultima est: *De Libro Genesis*, quae incipit: *In principio fecit deus* &c. *Si celum in principio fecit* &c. Et finit: *secundum ea que supra ostendimus.* Cum Editores *Mauriani* duplex genus *Codicum Mss.* has *Quaestiones* continentium distinxerint, *Noster* ad *primum* magis quam ad *secundum* genus pertinet.

VI. *fol.* 126. *Incipit liber de missarum mysteriis. Editus a lothario sancte romane ecclesie Dyacono Cardinali.* E Comitibus *Signiensibus* ortus hic *Lotharius* patria *Anagninus* deinceps ad Papatum evectus nomine *Innocentii* III. obiit a. 1216. Scriptorum ejus pars maxima prodiit *Coloniae* 1552. f. Accrevere alia successu temporis, quae enumerat *Hambergerus* in *Zuverläss. Nachricht.* P. IV. p. 343. Primus inter ipsa typographiae rudimenta lucem vidit Liber ejus *de Miseria humanae Conditionis*, de quo egi in *Memorab. Bibl. Garell.* p. 191. Secutum est Opus nostrum editore *Joh. Cochleo Lipsiae* apud *Nic. Fabrum* 1534. 4. in *sex Libros* divisum, qui in *Cod.* praesenti *Particulae* vocantur. Prologi initium